

I, 16.



I, 16.

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIVS
R V D O L P H V S
BOEHMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIUS

I N S T I T U T U M
CAROLI CHRISTIANI KOCH

DOMITSCIENSIS MISNICI
LL. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA
I N A V D I T O R I O M A I O R I
A. D. XL. CAL. MAI. A. R. S. cīc 1562.
CELEBRATVRI
C I V I B V S
ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XI.
de originibus Saxoniciis VI.*

V I T E B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTL OB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

Saxonum genti varia alia nomina a Romanis et Graecis dari, antequam illorum instituta moresque didicissent, et aliis vel sociis, vel prioribus occupati soli cultoribus, adnumeratos eos esse, multa argumento sunt; sicuti etiam postea quidam, poëtae præsertim, imitatione antiquitatis vetustis eos vocabulis adpellant. Sic VENANTIUS FORTVNATVS (l. III. carm. IV.) in præfatione, prosaica illa, sed supra carmen figurata, scripsit: *Noui quidem, te mihi Cannobo, CHERVSCIS arcessentibus MYOPARONEM præpepetem, catus, et arte AREMORICA tutus, inter symplegadas se mordentes exissem.* Vocat enim illos Cheruscos, quia horum regionem iam trans Rhenum, loquentibus ex Romanorum et Gallorum consuetudine, obtinebant. Tribuit etiam ipsis artem Aremoricam certissimo indicio, tractum Aremoricum habuisse tunc incolas Saxones. Describit enim hos Aremoricos ZOSIMVS (l. VI. p. 376. ed. Oxon.) per homines, qui electis Romanis magistratibus, exemplo Britannorum et aliorum Gallorum se in libertatem vindicauerint. Nec PROCOPIVS (de B. Goth. l. I. c. XII.) aliud prodidit, licet in eius codicibus Αρμογίχοι scribantur, quos ZOSIMVS recte Αρμογίχους vocat. Facit enim fidem, coaluisse cum iis Germanis in unam gentem, qui Thuringis vicini septentrionalia Galliae inuaserint eo tempore, quo Syagrius ab Alarico Visigotho captus est, ut ex historiae serie patet. Collocat vero supra Francos, hoc vero est, mare versus, et de Aremo-

Aremoricis adhuc liberis loquitur, ante quam a Chlodouaeo uicti sunt. Qui autem Germanorum, a Francis diuersi, et Thuringorum vicini, tunc in Aremoricam transire, et cum his liberam rem publicam instituere, ut vnius corporis fierent, potuissent, nisi Saxones? Errat quidem in eo, quod, ut poterit tanto interuallo loci disiunctus, et forte confusa narratione decepit, Saxones, iam ante coniunctionem cum Aremoricis, fuisse Christianos scripsit. Sed cito tamen illos in Gallia, ex parte certe, haec sacra suscepisse VENANTIVS auctor est: (in carm. de pasch. ad Felicem ep.)

*Aspera gens Saxo, viuens quasi more ferino,
Te medicante sacer bellua reddit ouem.*

Hinc enim forte errandi Procopio causâ, quod de
ipsis etiam sacris inter Aremoricos et nouos adue-
nas consociatis aliquid acceperat. Multa vero Sa-
xorum inter Aremoricos in toto Saxonici litoris
tractu vestigia ostenderunt ALTESERRA, MORI-
SOTVS, VALESIVS, HVETIVS. Hinc satis etiam
liquet, illud SIDONII APOLLINARIS (Carm.VII.
v. 548.)

*Quin et Arcemoricus piratam Saxona tractus
Sperabat,*

longe aliter capiendum esse, quam viris doctissi-
mis visum est, quasi hoc vero sperabat per cata-
chresin significet metuebat. Loquitur enim Sido-
nius de gentibus arma yndique in Romanos capi-
entibus; vnde Aremorici, iam Honorio imperan-
te qui descierant, Saxones tunc non metuebant,

):(2 sed

sed nouam eorum , tanquam sociorum , multitudinem , trans mare auxiliī caūsa adfuturos , exspectabant . Quid ergo mirum , si Procopius solo communi Germanorum nomine ad designandam coloniam , in Aremoricam emissām , vñus sit , quod in rebus Caraūsii AVRELIVM etiam VICTOREM (de Caes . c . XXXIX .) fecisse alibi monuimus ? (Spec . har . Antiq . VI .) Neque leuis etiam est suspicio , fuisse Magnentium natione Saxonem , licet nomen , hoc nondum vñu satis tritum , in proden- da origine nemo adhibuerit . ZOSIMVS quidem (l . II . p . 134 . ed . Oxon .) vult ortum ex barbaris fu- isse , sed ad Letos , populum Galliae , se contulisse . De Letis viri quiue eruditissimi multa egre- gia docuerunt , vt VALESIVS (ad AMMIANI l . XVI . c . XI . p . ed . Gron .) GOTHOFREDVS (ad Cod Theod . l . VII . tit . XX . l . XII . T . II . p . 435 . add . T . V . ad p . 132 .) aliquie , et forte alio tempo- re quaedam addere licebit ; quum praesertim quae- dam restent nouae industriae . In vniuersum au- tem constat , hos variarum gentium fuisse perfu- gas , qui a Romanis agros in prouinciis Galliae colendos , dictos inde terras Leticas , acceperunt , vt lectam bello iuuentutem pro iis darent . Docent hoc praesertim nationum adiectiones in NOTITIA IMPERII . Exinde igitur , vbi natus fuerit Magnen- tius , nihil colligitur . IVLIANVS (orat . I . p . 34 .) qui optime hoc nosse poterat , vocat maiorum Constantii vile mancipium , qui ex praeda Germa- nica

nica seruatus fuerit. Sed haec mere oratoria circumlocutio conditionis, quam diximus, Leticae. Reliqui omnes fuisse ipsum gentis barbarae, aut ortum parentibus barbaris tradunt. Vnus ZONARAS nomen proprium gentis edit, qui patrem Britannum adpellat. Sed huius non magna fuerit auctoritas, qui suo aevo aut Britanniam Galliae aut Saxones Britanniae male interpretari potuit. Meliora sane ipse IULIANVS ibidem sollerti inuestigationi reliquisse videtur, qui propter necessitudinem sanguinis vel agnationem, (sic enim ex Graeco vertendum est, quod vulgo perperam adfinitatem reddunt,) ipsi maxime strenuos socios, ex iis, quae trans Rhenum sint, gentibus, militasse, Francos atque SAXONES, scripserit, idemque alibi luctulentius confirmet, (Orat. II. p. 56.) vbi genus ex his duobus populis duxisse illum, et multas in iis cognationes habuisse, diserte, testatur. Si natus ex Francis fuisset; vbi more oratorum vires et potentiam Magnentii Julianus exaggerat, genus inde ductum ob horum iam nimium celebres opes non dissimulasset, si praecepsis artis obsecutum statuimus. Ita, vt vitaret nouitatem nominis, nondum inter Graecos et Romanos voluptatem auribus adlaturi, prius circuitione vti maluisse, censendus erit, nisi fallimur. Et quisnam tam formidandus populus tunc circa occidentis maria, vti ibidem exstat, post Francos superesse poterat, quam Saxones? Possemus alia adiicere, nisi haec fidem conjecturae haud vanam facere posse, speraremus.

remus. Vnum obseruamus, sententiam nostram de orto Saxonum a captis nouis sedibus nomine inde valde confirmari, quia diu fuit infrequentius, et tunc demum crebrius usurpatum, quando, subactis aut foederatis pluribus populis, magnam iam regionem ditione tenebant. Nec obstiterit, si quis Ptolemaeum aut Marcianum opponat. Hi enim sunt geographi, quibus in ignotis nominibus facilis ignoscitur, quam historicis, qui eloquentiam adflectant; ut vel Strahonis, multas gentes et loca nominibus, diu demum post rursus viu frequentari coeptis, efferentis, exemplo constat. Sunt quidem haec eius modi, ut ex illis nec dum, tanquam ex plane compertis et exploratis, contexere historiam liceat. Sed quis non fateatur, Francorum noscendis originibus non aliunde plus adiumenti esse adlatum, quam quod tales quaestiones non neglegantur? Praeterea, ut nondum perduci ad liquidum singula possint, occasione tamen erunt, ut complura in mentem veniant aliis, qui huic studio operam impendent, de quibus, nisi admoniti, non cogitassent. Et quis desperet, posse adhuc quaedam monumenta erui, e quibus maior lux adfulgeat: ut nuper SCHEIDIVS, V. Ill., sed magno iam bonarum litterarum damno rebus humanis ereptus, insignem ab omnibus patriae amantibus gratiam init, publicato paruo opusculo MEGINHARDI, quod ingentem utilitatem historiae Saxonum adferat? Utinam esset, qui ex magno opere, quo vitae sanctorum,

rum, vti vocant, continentur, res ad nostram historiam pertinentes excerpteret, et perite in ordinem redactas vsibus publicis redonaret. Tacemus alia quaedam volumina, quorum copia est rarior, et e quibus locupletari hoc instrumentum posset. Neque enim omnium sequioris etiam aeui scriptorum semper vacillat fides; si modo clara et certa signa adparent, vnde et quo animo quidque profrant. Saxones classibus Siciliae oris infestos, proxime ex Ambrosio ostensum fuit. Fac, vnica ista eius epistola careremus, quis sciret, eo tempore, quo Maximus imperium inuaserat, eos multum iam mari polluisse? At quis Ambrosio fidem abroget, postquam aliunde quoque fugitiuae quae-dam particulae perditи veri retractae sunt? Habet in hoc genere summum usum consideratio circumstantiae temporum, quae saepius nec opinantes bonorum auctorum lectores veluti repente alicubi exortum lumen ex deuīis et interruptis in viam reducit, sicuti maioribus nostris ista inundatio septentrionali subiectarum terrarum, paullatim ut alio aliquo concederent, caussa fuit, donec hic, ubi diu iam confederant, post dubiae ex Britannia, Thuringia, et Francia, lucis primordia, et rursus offusas infelioris aeui tenebras, plenus coelestis claritatis dies effulsit.

Celebrabit praesentis aetatis hac ex parte felicitatem, et diuinae prouidentiae gratias aget, CAROLVS

ROLVS CHRISTIANVS KOCH, Domitsciensis Mis-
nicus LL. AA. M. et SS. Theol. Cultor, qui bene-
ficii Weyrauchiani ex lege a. d. XI. Cal. Mai. maio-
ri in auditorio orator, de doctrina euangelica Lu-
therana non noua, sed antiqua, verba facturus, pro-
dibit. Omnia erit, CIVES, gratae diuinis mu-
neribus vti, et hoc ipsum, de quo agetur, ante
omnia ponere. Quo minus dubitandum erit, cu-
iusque animum religionis etiam cogitationem subi-
turam, ne in tam pia congratulatione bono-
rum deesse officio velit.

P. P. Vitebergae a. d. XII. Kal. Mai. A. S. R.
clc cicc LXII.



Thn 2972

ULB Halle
007 441 851

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

RECTOR

ACADEMIAE VITEBERGENSIS

GEORGIVS

R V D O L P H V S B O E H M E R

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.

ORDINARIUS

I N S T I T U T U M

C A R O L I C H R I S T I A N I K O C H

D OMITS CIENSIS MISNICI

L L. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS

MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM

ORATIONE ANNIVERSARIA

I N A V D I T O R I O M A I O R I

A. D. XI. CAL. MAL. A. R. S. c. 15 CCLXII.

C E L E B R A T V R I

C I V I B V S

E T P O S T E R I T A T I C O M M E N D A T

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XI.
de originibus Saxoniciis VI.*

V I T E B E R G A E

P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I

A C A D E M I A E A T Y R I S

